in Diaconatus gradu ministraret; & quia post legitimam ætatem ministrare potest in prædicto gradu sacro, ad quem nemo promoveri valet, nisi ad titulum beneficii ecclesiastici; alias qui eum ordinavit tenetur beneficium præstare, vel providere illi de necessariis, *c. sanctorum*, 70. *dist. c.* 2. *c. cum secundum, de preb.* ideo Honorius III. in præsenti decrevit, Episcopum Ovetensem debere prædicto Diacono male promoto beneficium conferre, ad cujus titulum adveniente legitima ætate reperiatur ordinatus.

9 Dissolvuntur argumenta. Nec argumenta supra adversus nostram conclusionem perpensa adversantur. Non primum deductum *ex c.* 4. 78. *dist.* nam verbum illud *deponatur*, quo textus utitur, accipiendum est pro suspensione; plerumque enim in jure hoc depositio confunditur cum suspensione, & e contra, ut constat ex auctoritatibus, & exemplis adductis a Sayro *de cens. l.* 5. *c.* 19. *n.* 3. Suarez *eod. tr. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 11. notavit Gibalinus *eod. tr. p.* 8. & sic verbum illud, *deponitur*, in eo textu accipitur pro *suspenditur*, ut docuit Suarez *d. sect.* 1. *n.* 12. Nec similiter obstat secunda difficultas: nam licet causa impulsiva suspensionis ordinati in hoc textu fuisset improba ordinatio ab Episcopo facta; tamen causa finalis fuit defectus ætatis ipsius, cujus ratione ordinari non poterat; & sic quatenus suspensio imponitur ordinato, in ipso est ob defectum ætatis; in ordinante vero ob culpam ipsius, ut post Panormitanum & alios antiquiores in præsenti docet Gibalinus *ubi supr. in synopsi, pag.* 138. *n.* Nec obstat tertia difficultas adducta ex nostri textus antimonia, dum in principio supponitur, ordinatum suspensum esse, & fine docetur, illi conferendum esse beneficium. Nam respondendum est, suspensionem, de qua in hoc textu, non esse perpetuam, sed temporalem, donec ad legitimam ætatem pervenit: ideo cum supervenente ætate reperiretur ordinatus sine titulo, recte Honorius decrevit, ipsi conferendum esse beneficium, ut cessante suspensione habeat Ecclesiam, cui inserviat, juxta textum *in d. c.* 2. *c. cum secundum, de preb.*

10 Exponitur c. 2. 77. dist. Sed primo præsenti assertioni adversatur textus *in c. in singulis* 2. 77. *d.* in illis verbis: *Vel Subdiaconus* 14. *annis fiat, & sic ad benedictionem Diaconatus, si meretur, accedat*. Ex quibus verbis expresse deducitur; puerum 14. annum agentem posse in Subdiaconum, & in Diaconum ordinari: igitur non recte Honorius III. Episcopum Ovetensem increpat ut scientiæ canonicæ ignarum, quia puerum 14. annum agentem ordinavit in Diaconum. Glossa in eo text. *verbo* 14. *annis*, existimat ibi 14. annos non esse computandos a nativitate ipsius ordinandi, sed ab ultimo anno infantiæ, 7. videlicet, & sic addendo 7. annos infantiæ cum aliis 14. Quam solutionem, utpote verbis, & menti text. contrariam, refellit Acunna *ibi*. Aliam adducit Narb. *d. anno* 12. *q.* 1. Quibus omissis dicendum est, textum illum non esse exaudiendum sprout habetur in ipso corpore Gratiani, sed prout legitur in aliis exemplaribus, & castigatis codicibus, ubi ita legitur: *Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad* 20. *ætatis annum continuata observatione perduret; si major jam & grandævus accesserit, ita tamen, ut post baptismum se divinæ militiæ desideret mancipare, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur: exinde acolythus, vel subdiaconus* 4. *annis, & sic ad benedictionem*. Notarunt Ant. Aug. *in dialog.* I. Dartis *in eo textu*, & in calce ipsius notatur. Ex qua littera ita transcripta evincitur post 25 annum Diaconum debere ordinari, quod disciplinæ ecclesiasticæ maguopere illius sæculi congruit, ut jam supra retuli.

11 Exponitur decretum Urbani II. Secundo supra traditæ assertioni refragatur Urbani II. decretum relatum in Concilio apud Melfiam; *c.* 4. in illis verbis: *Constituimus, ut nemo ante annos* 15. *aut* 14. *Diaconus ordinetur, nemo ante annos* 30. *in Presbyterum consecretur*. Qui textus aperto marte opponitur præsenti decisioni; siquidem in eo expresse permittitur, agentem 14. annum in Presbyterum ordinari. Pro cujus difficultatis solutione restituenda est illius decreti contextura; loco enim eorum verborum 15. aut 14. legendum est 25. aut 24. siquidem mendum irrepsit, & error ex eo; nam cum ita legeretur his notis: *Nemo ante annos* 2 - *Diaconus fiat*; omissa fuit in versione littera X. & sic transcriptum, *ante* 15. *aut* 14. cum ita vertendum esset, *ante* 25. *aut* 24. Leviter emendavit Ant. Aug. *in epit. juris, l.* 7. *tit.* 5. *cap.* 2. qui error ex inversione prædictarum notarum frequenter reperitur in Jure. Cujacius *in l. non putabam* 48. *ff. de condit. & demonst. pro* 16. conjicit legendum 14. ex lege *si cui legatur* 49. *ff. delegat.* 1. Sic *in l. ult. C. qui state*, pro 55. legendum est, 70. & *in l.* 2. §. *post hunc, ff. de origine juris*, pro 40. legendum 400. & *in l. si quis* 7. *ff. de jurisd.* pro 500. legendum est 50. apud Vitruvium pro *divisiones* 12. legendum esse 8. jam notavit Fornerius *lib.* 2. *rerum quotid. c.* 2. Recte igitur asserimus in dicto Decreto Urbani II. pro 15. aut 13. legendum esse 25. aut 24.

C A P U T XVI.

a Gregorius III. *Archiepiscopo* b *Baranensi*.

Consultationi tuæ taliter respondemus, quod eos qui extra tempora statuta sacros ordines receperunt, characterem non est dubium recepisse: quos pro transgressione hujusmodi primo eis pœnitentia imposita competenti, sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare.

NOTÆ.

a Gregorius.) *De eo egi in c. fin. de constit.*
b Baran.) Legendum est *Barensi*, ut legitur apud Innocentium III. *l.* 4. *ep.* 110. Barensis enim civitas est in Apulia Metropolitana, cui parent decem Suffraganei: ejus mentio fit *in c. cum bona* 8. *de etat. & qualit.*
Hujus textus commentarium dedimus *in c.* 1. *hoc tit.*

C A P U T XVII.

a Idem.

Quæsitum est de Sacerdotibus, vel aliis *b* clericis qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii bonum conscientiæ rectæ perdiderunt, *Et infra*: Respondemus, quod si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri, qui si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.

NOTÆ.

1 a Idem.) In hac sexta Decretalium collectione textus iste tribuitur Gregorio IX. sed nisi fallor, aut est Clementis III. aut ipse Greg. ex Clementis III. decisione præsentem transcripsit: in secunda enim collectione, *sub tit. de etat. & qual. c.* 3. ita legitur. (Ex tuæ fraternitatis consulto percepimus, te velle a S. A. certitudine edoceri, utrum sacerdotes, vel alii in quibuslibet sacris ordinibus constituti, qui per lapsum carnis reatum adulterii incurrerunt, vel perjurii; vel alii falsi testimonii, vel crimine homicidii irretiti bonum rectæ conscientiæ perdiderunt; si peracta condigna pœnitentia de commisso, in prioribus tolerari, vel suffragantibus meritis provehi valeant ad majora: super quo fraternitati tuæ respondemus, quatenus si notoria sunt crimina, quæ prædximus, vel ordine judiciario comprobata, tales reos censura sacrorum canonum, etiam post peractam pœnitentiam, non tantum ad altiores progredi non permittit, verum etiam jubet gradum pristinum non tenere. Porro si proposita crimina contra aliquem notoria non fuerint, vel ordine judiciario comprobata, monendi sunt tales, qui eisdem tenentur obnoxii, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium damnationis suæ in susceptro ordine non ministrent.) Hactenus Clemens III. cujus verba si recte conferantur cum præsenti decisione, aut ea ipsa sunt; aut valde similia.
b *Clericis*.) Ad constitutos tantum in majoribus ordinibus refert Vasquez *tertia p. in* 3. *disp.* 136. *n.* 29.

TITU-

T I T U L U S XII.

De scrutinio in Ordine faciendo.

1 Scrutinium dicitur a scrutando. Apulejus *l.* 1. *metaph.* Scrutinum olim in Ecclesia fiebat in catechumenis baptizandis, *c. dilectus de capellis monach. c. his, he majorit. & obed.* Concil. Moguntin. sub Carolo *can.* 4. *Sacramenta itaque baptismatis voluimus, ut sicut sancta vestra fuit admonitio, ita conderitur, atque uniformiter in singulis parochiis secundum Rom. ordinem inter not celebrentur jugiter, atque conserventur, id est scrutinium ad ordinem baptismatis*. De quo scrutinio agunt Lindebrogius *in glossario legum, verb. Scrutin.* Zerda *in adversariis, c.* 85. Cironius *ad tit. de baptismo*, Cochier *in face histor. c.* 55. Vossius *de vitiis serm. l.* 3. *c.* 47. Cresolius *lib.* 2. *mysteg. cap.* 13. Lantdmeter. *l.* 2. *de vet. cler. c.* 21. Menardus *in not. ad Sacram. D. Gregorii, pag.* 135. Filesacus *de orig. Parroch. cap.* 6. Scrutinium etiam olim fiebat in ordinatione clericorum: ordinandi enim proponebantur coram clero, & populo, ut bonorum merita publicarentur, vel malorum crimina detegerentur. D. Ciprian. *ep.* 33. quod jam primis Ecclesiæ sæculis observatum fuisse constat ex Lampridio *in Alex.* ibi: *Aliquos voluisset vel Rectores provinciis dare, vel Præpositos facere, vel procuratores, id est rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque grave esse, cum id Christiani, & Judæi facerent in ordinandis sacerdotibus, non fieri in provinciarum Rectoribus*. De qua ordinandorum probatione late agunt Petr. Fab. *l.* 3. *agonist. c.* 28. Saussay *p.* 1. *Panopl. cler. l.* 4. *c.* 2. Pamelius *in d. ep.* 33. *D. Cypr.* Mendoza *l.* 2. *Conc. Illiberit. c.* 50. diffuse Hallier. *de sacris electi, l.* 1. *c.* 2. *nr.* 2. *& sect.* 8. *c.* 1. *nr.* 5. Licet in hac rubrica polliceri videatur forma prædicti scrutinii, tamen caput unicum, quod ei subjectum est, tantum continet, Diacon. dolo vacare, & omnis culpæ exsortem esse, qui interrogatus, an promovendus ad sacros ordines dignus sit, respondet dignum esse, cum eum indignum esse pro comperto non haberet.

C A P U T I.

a Idem.

Exparte tua fuit propositum. *b Et infra*: Quæsivisti per Sed. Apost. edoceri, ut cum Episcopi ad consecrationes Episcoporum ab *c* Archiepiscopo suo, vel alio evocentur, & ipsi Metropolitano electum offerant consecrandum, dicentes: Reverende Pater, postulat sancta Mater Ecclesia hunc electum in Episcopum consecrari; & interrogante Archiepiscopo, si sciant illum esse dignum, respondeant, quod illum sciunt, & credunt pariter esse dignum; & te in responsione hujusmodi ne offenderes hominem, Deum existimes offendisse, quandoque præter, quandoque contra conscientiam respondendo, cum electi conversatio aut minus tibi bene sit cognita, aut penitus sit ignota; qualiter in hujusmodi interrogationibus salva conscientia valeas respondere. Ad quod f. t. respondemus, quod cum nos aliquem in *d* Diaconum, vel Presbyterum promovemus, prior *e* Diaconorum qui nobis assistit, dicit: Postulat *f* sancta Mater Ecclesia Catholica hunc Subdiaconum, vel Diaconum ad onus Presbyteratus, vel Diaconatus assumi; & nobis interrogantibus, si eum cognovit esse dignum, idem respondet, quod quantum humana fragilitas nosse sinit, & scit, & testificatur illum ad hujusmodi onus officii esse dignum. Unde in tali responsione aliquem peccare non credimus, dum hoc modo contra conscientiam non loquatur; quia non simpliciter illum asserit esse dignum, sed in quantum humana fragilitas nosse sinit: cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat *g* æstimare. Hujusmodi ergo responsione secure poteris uti, nisi forte de indignitate tibi constiterit consecrandi. Si autem illum indignum esse cognoscis, Metropolitano prius, quam ad hujusmodi scrutinium veniatur, studeas *h* nuntiare. Quamvis, ut diximus, nos interrogationem hujusmodi non in consecratione *i* Pontificis, sed in ordinatione Diaconi, vel Presbyteri faciamus.

NOTÆ.

1 a Idem. Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. unico*: non tamen ibi exprimitur, cui Prælato rescribat Innocentius, sed epigraphe ita restituenda est: *Innocentius III. Aurienſi Episcopo*, ut habetur *l.* 9. *ep. Innocentii III. ep.* 33. ubi extat præfens decretalis, editaque fuit anno 1206. ut eo anno refert Odoric. Raynaldus *nu.* 33. De Aurienſi Ecclesia egi *in c. cum causa de probat.*
b *Et infra*.) Alia pars hujus decretalis, quæ diversam prorsus consultationem continet, extat *in c.* 1. *de temp. ordin. in* 3. *collect.*
c *Archiepiscopo tuo*.) Ad consecrationem suffraganei debet Archiepiscopus convocare omnes comprovinciales Episcopos, ut late probavi *in c. si Archiep. de temp. ordinand.*
d *Diaconum, vel Presbyterum*.) In his verbis tacite innuitur, in aliis inferioribus gradibus non esse necessariam hanc præsentationem ab Archidiacono faciendam quod probat Hallier. *de sacris electi. c.* 2. §. 3. *pag.* 39.
2 e *Prior Diaconorum*.) In Ecclesia Romana non est Archidiaconus, ut notavit Glossa *verbo Examinentur, in c. ad hoc, de offic. Archid.* sicut neque in Ecclesia Constantinopol. ut refert Codinus *de officiis c.* 17. *n.* 39. unde in Ecclesia Romana primus Diaconorum est, qui repræsentat ordinandos R. Pontifici; in aliis vero Ecclesiis hoc munus proprium est Archidiaconi, *c.* 2. *c. Episcopus, c. quando*, 24. *d. c. nihil*, §. *Episcopi, c. ad aures, c. ut nostrum, de officio Archid. c.* 1. *de eo, qui furtive*: plura Petrus Greg. *l.* 1. *par. tit.* 13. *c.* 5. Hallier. *ubi supra, fol.* 47. & 966. cum enim ad Archidiaconum spectasset examen ordinandorum, *c. ut Archidiaconatus, de officio Archid.* late Hallier. *ubi sup.* ideo ad ipsum spectabat præsentatio in hoc secundo scrutinio. Nec obstat Concilium Habenetense *in can.* 3. relato a Burchardo *l.* 2. *Decreti, c.* 23. in illis verbis: *Una cum Archipresbyteris, qui eos repræsentare debent*. Ex quibus deducitur, hoc munus repræsentandi ordinandos Episcopo non Archidiacono, sed Archipresbytero competere. Nam in eo canone agitur de ordinandis illis, qui habitabant in villis, & oppidis, non vero in civitatibus: & cum eam potestatem, ac jurisdictionem, quam habebant Archidiaconi in Urbe, haberent Archipresbyteri in locis ruralibus, ut dicemus *in tit. de officio Archipresbyter.* ideo, ex illis villis, & oppidis clericos ordinandos repræsentabant Archipresbyteri, non Archidiaconi.
3 f *Sancta mater*.) Ita legitur in ipso Pontificali Romano, *c.* 1. *tit. de ordinat. Diaconi, & Presbyteri*. Dicitur autem, *Postulat sancta mater Ecclesia*; ut cognoscatur, neminem ex humana gratia, vel ex qualibet privata prece, sed Ecclesiæ tatum flagitantis postulatione promovendum esse, juxta Concil. Trident. *sess.* 23. *de reformat. c.* 13.
4 g *Debeat æstimare*.) Imo si aliter non novit indignum, cum dignus quis præsumatur, nisi testibus aliter probetur *l.* 1. §. *probatio, C. de his, qui veniam ætatis, l. ex persona, C. de probat.* Recte ergo Innocentius III. ac secundum juris utriusque principia affirmat, in dubio quemlibet bonum præsumi, donec contrarium probetur, ut docetur *in c. si quid, d.* 86. *c. in cunctis* 11. *q.* 3. *c. innocens* 22. *q.* 4. *c. fin. de præsumpt. lib. cum pater* 77. §. *Rogo, ff. de legat.* 2. *l. servos, l. testam. ff. de manumiss. testum.* plura Barbosa *de dictionib. verbo Bonus*, Escobar *de purit. sanguinis, q.* 8. §. 2. nisi in contrarium præsumptio adsit, ut in legibus proxime citatis. In præsenti autem casu præsumptio adest pro bonitate, siquidem ante hoc scrutinium tot præcedunt examina, tot coram populo publicationes, de quibus late agit Hallier. *ubi sup. d. art.* 1. ut facile apparere possit indignitas promovendi ad ordines. Unde cum in nullo ex his scrutiniis contrarium probatum sit, bonus & dignus ordinandus præsumitur.
5 h *Nuntiare*.) Ne contra conscientiam eum dignum repræsentando mendacii culpam incurrat, aut delictum occultum padendo eum publica notet infamia.
6 i *Pontificis*.) Quia electus, & confirmatus a R. Pontifice dignus est; nec post examina testimonium illius sufficiens, aut necessarium censetur.

TITU-

TITULUS XIII.

De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.

CAPUT PRIMUM.

Alexander III. a *Toletano Archiepiscopo*.

REquisivit a nobis tua fraternitas, utrum Clerici, qui post renuntiationem factam a *b* prædecessore tuo ordines susceperunt, in ipsis debeant remanere, aut ad majores de jure canonum promoveri. Nos igitur, quia nobis non plenarie de veritate constat, non possumus tibi super hoc breviter respondere. Nam distinguitur, utrum renuntiat loco tantum, an loco simul, & dignitati: nam ubi tantum loco renuntiat, ordines sicut antea, nisi a summo Pontif. vel ejus Legato prohibitus fuerit, rogatus ab Episcopo aliquo de ratione poterit conferre. Cum autem loco Pontificali cedit, & *c* ordini, ibi distinguendum putamus, utrum sacros contulerit, an minores. Si enim a tali ordines usque ad *d* Subdiaconatum quis acceperit, quia, & hujusmodi ordines quandoque a non Episcopis conferuntur, & in illis deservire poterit, & ad majores, si idoneus fuerit, promoveri. Sane si ab eodem sacros ordines facta renuntiatione scienter quis receperit, quia *e* indignum se fecit, executionem officii non habebit: ubi non scienter, poterit, nisi *f* crassa, & supina fuerit ignorantia, discretus Pontifex dispensare.

NOTÆ.

a *Toletano*.) Ita legitur in hac sexta collectione, & in prima, *sub hoc tit. c. unico*, sed perperam, nam casu hujus textus non convenit cum historia Præsulum Ecclesiæ Toletanæ. Temporibus enim Alexandri III. floruerunt Joannes, & Cerebrunus, qui decesserunt in regimine ipsius Ecclesiæ, nec ullus ex eis Archiepiscopatui renuntiavit; unde non posse defendi hanc inscriptionem, jam notavit Loaysas *in notis ad Concilia Hispania, in decreto Gundemari, pag.* 286. Aliter habetur epigraphe hujus textus in Concilio Lateranense. *par.* 26. *c.* 18. ubi legitur: *Telosano Archiepiscopo*: sed etiam falso, propter eamdem rationem, cum nemo ex Archiepiscopis Tolosanis, qui temporibus Alexandrii III. eam rexerunt, Archiepiscopatui renuntiasset. His ergo lectionibus rejectis legendum est, *Archiepiscopo Colonienſi*, ut in Codice MS. Ecclesiæ Toletanæ haberi testatur Loaysas *ubi supra*; quæ inscriptio magnopere convenit historiæ illius Ecclesiæ: Bruno enim III. Præpositus Coloniensis in Archiepiscopum ipsius Ecclesiæ canonice electus fuit temporibus Alexandri III. qui postquam per tres annos eam Ecclesiam rexit, dignitate se abdicavit, & in cœnobio Veteris Montis vitam Monasticam professus fuit: illi successor designatus fuit Adolphus, in quem Archiepiscopatum renuntiaverat, ut refert Fr. Petr. Kratepolius *in serie Præsulum Colonienſium*. Unde inscriptio nostri textus ita restituenda est, *Alexand. III. Adolpho Colon. Archiep.*

b *Prædecessore*.) Brunone videlicet Archiepiscopo Coloniensi, de quo supra.

ç *Et ordini*.) Sed si Episcopatus est ordo, & imprimit characterem in anima, ut dixi *in c. si Archiepiscopus, de temporib. ordin.* quomodo renuntiari potest, ita ut Episcopus amplius non possit conferre sacros ordines? Sed ut hanc difficultatem effugiamus, dicendum est, verbum illud *ordini*, accipi pro dignitate, ut in verbis antecedentibus, ibi: *Loco simul, & dignitati*. Cum enim Episcopus renuntiat loco, & dignitati, non abdicat a se potestatem characteris, & conferendi valide sacros ordines, ut docent Glossa *verbo Firmitatis, in cap. provide* 44. *de elect. in 6.* Petrus Greg. *l.* 1. *p. tit.* 1. *c.* 2. & *de elect. c.* 20. Suarez *de censuris disp.* 31. *sect.* 1. Barbosa *l.* 1. *juris Eccl. c.* 23. *n.* 13. sed tantum licite eos conferre non valet; renuntians enim loco, & dignitati, dimittit jurisdictionem, & officium: unde Pontifex admittendo ipsam renuntiationem, Episcopum privat executione Episcopalis ordinis, iraut licet eum pro Episcopo habeat quoad characterem, & potestatem conferendi valide sacros ordines; tamen supponit eum virtute renuntiationis privatum exercitio illius facultatis. Quare Alexander III. hic docet, ab eo ordinatos ad gradus sacros, suspensos remanere, quia licet valide sacris initiati sint, non tamen licite; siquidem ordinati sunt ab eo, qui exercitium Episcopalis ordinis non habebat: plerumque enim qui habet dignitatem, non tamen habet exercitium, seu administrationem, quam quietum, & otiosum cingulum appellavit Cassiodorus *l. 6. variarum c.* 10. 11. & 12. & honorarium dixerunt Imperatores *in l.* 2. *C. ut dignit. ordo*, *l.* 12. *novella* 70. principatum inutilem *in l.* 24. *C. de sacrosanctis*, plura eruditissimus vir D. Joannes de Solorzano *in suo memor. pro Candelaria*, §. 12. & 16. Nec obstabit, si dicas, dari in una, eademque Ecclesia duos Episcopos, unum cum facultate exercendi Pontificalia in actu; alium vero cum potestate, sed sine exercitio, contra ea quæ docentur *in c. quoniam*, 14. *de officio ordin.* Nam licet hæc difficultas gravis visa sit Petro Greg. *l.* 1. *part. tit.* 13. *c.* 2. facile dissolvi potest, si animadvertamus, Episcopum renuntiantem privari jurisdictione, neque pro Episcopo haberi, & sic unum tantum Episcopum cum exercitio Pontificalium dari, ut contingit *in c. quia*, 5. *de elect. c.* 1. & 2. *de schismaticis*, & aliis.

d *Subdiaconatum*.) Exclusive intelligas, quia jam temporibus Alexandri III. Subdiaconatus erat ordo sacer.

e *Indignum se fecit*.) His verbis moti, & suffulti Sylvester *verbo irregularitas, q.* 8. Angelus *eodem verb. n.* 31. Toletus *l.* 2. *summa, c.* 71. *n.* 2. Navarr. *in manuali, c.* 27. *n.* 241. Sayrus *l.* 7. *de cens. c.* 10. *n.* 27. affirmant regularem manere ordinatum ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui: moventur etiam, quia ex similibus verbis inducitur irregularitas *in c. inquisitioni, de testibus*. Facit etiam pro eorum sententia Alexander *in præsenti*, dum docet dispensandum esse cum ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui: sed cum suspensis non dispensatur, sed potius illi absolvuntur *c. dilectus, c. vel non est, de temp. ordin.* similiter concedit Alexander Episcopo facultatem dispensandi cum ita ordinatis per ignorantiam; sed si tantum suspensionem incurrissent, Episcopus propria auctoritate poterat eos absolvere, *c. nuper de sent. extemm.* igitur quia hoc casu irregularitas incurritur. Sed adhuc asserendum est, ordinatum ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui, suspensionem, non vero irregularitatem incurrere, ut probant Glossa, & Panormitan. *in præsenti, n.* 6. Flaminius Parisius *l.* 1. *de resign. benefic. q.* 17. Barbosa *de potestate Episc. alleg.* 48. Gibalin. *de irregul. dub.* 3. & *de censuris, in synopsi p.* 479. *litt. O.* licet enim verba supra relata plerumque importent irregularitatem, tamen in præsenti tantum suspensionem significant, juxta subjectam materiam; nec verbum *dispensandi*, quo Alexander noster utitur, aliquid facit; quia quoties suspensio habet rationem pœnæ, & impedimenti potius quam censuræ, tollitur per dispensationem, non vero per absolutionem: suspensio autem, de qua in hoc textu, non modo tollit usum gradus perperam accepti ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui, sed etiam aliorum; unde est pœna cum impedimento, quæ cum dispensatione tantum tolli potest, ut docet Gibalinus *de irregul. c.* 5. *dub.* 3.

f *Crassa, & supina*.) Quæ dolo fere æquiparatur, *l. error, l. regula, ff. de juris, & facti ignor. l. lata, ff. de V. S.* plura Doctor Bajo-Arroyo *in c.* 2. *de constit. l.* 6. ignorantia crassa in præsenti specie datur, si Episcopus renuntiavit palam in propria civitate, non vero si extra, ut si Romæ, aut in Curia renuntiavit, & postea reversus in Ecclesiam ordines celebraverit; cum enim in proprio loco non renuntiasset, ab eo ordinati justam ignorantiæ causam habuerunt: vel si post renuntiationem proprio loco factam ordinatus existimet Episcopum restitutum esse exercitio Pontificalium; plerumque enim post renuntiationem Episcopus restituitur exercitio Pontificalium, ut contingit in casu ex Nicolao Pontifice relato ab Hallier. *ubi sup.* §. 3. *pag.* 833.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Episcopus, qui renuntiavit loco tantum, invitatus conferre potest omnes gradus ordinis; si vero & dignitati, ordines minores tantum; ab eo vero sacris initiati suspenduntur, licet si ignoranter receperint, cum eis dispensetur*. Non est ab specie in jure canonico alia decisio, quæ probari possit præsens assertio. Eam tamen illustrant, & exponunt ultra congestos a Barbosa hic Hallier. *de sacris electi. sect.* 5. *p.* 2. *c.* 5. §. 3. *pag.* 833. Cæsar *de Eccl. hierarch. disp.* 6. §. 3. Petrus Greg. *l.* 1. *p. tit.* 13. *c.* 2. & 4. Gibalin. *de irregul. c.* 5. *dub.* 3. & *de censur. in synopsi, pag.* 479. Ricciulus *l.* 2. *lucubrat. c.* 2. *cum seqq.* — 6 Impugnatur præsens assertio.

Hæc assertio, quatenus docet Episcopum, qui renuntiavit Episcopatui, posse minores ordines conferre, difficilis reditur ex eo, quod nemo potest subditis alienis gradus ordinis conferre, ut probavi late *in c. cum secundum*, 6. *de temp. ordin.* sed Episcopus qui renuntiavit loco, subditos non habet, cum jurisdictionem amiserit: igitur neque minores ordines conferre valet. Secunda difficultas est adversus eam partem assertionis, ubi docemur, ordinatum ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui, loco, & dignitati, sive scienter, sive ignoranter, suspensionem incurrere; nam bonitas, aut malitia ministri non potest impedire sacramenti effectum, cum valide illud administratur, *c. perfectionem* 1. *qu.* 1. igitur renuntiatio Episcopi non potest impedire exercitium ordinis valide recepti. Augetur hæc difficultas, nam suspensionis censura non potest incurri sine culpa propria, ut ex pluribus docet Gibalinus *cens. disp.* 3. *q.* 1. *cons.* 2. igitur qui ignoranter, & per consequens sine culpa ordinatus fuit ab eo, qui renuntiavit Episcopatui, non debet ex eo suspensionem incurrere. Augetur etiam

etiam hæc consideratio *ex c. ordinationes* 9. *q.* 1. ubi dum agitur de ordinatis ab hæreticis, & de suspensione, quam ipsi incurrerunt, ait textus: *Nisi probare maluerint, se eum ordinarunt, eos nesciere damnatos esse*. Ex quibus verbis aperte deducitur, per ignorantiam ordinatum ab hæreticis characterem, & gradus executionem accipere: igitur similiter per ignorantiam ordinatus ab eo, qui renuntiavit Episcopatui, exercitium gradus accepti consequitur.

7 De renuntiatione Episc. — His minime obstantibus, vera est Alexandri decisio, ad cujus expositionem sciendum est, Episcopum renuntiare loco, & dignitati, aliquando loco tantum. Qui renuntiavit loco, & dignitati, amplius Episcopus non remanet, & perinde habetur, ac si Episcopus non fuisset, *c. temporis*, §. *item, c. hoc nequaquam* 7. *q.* 1. *c. post translationem*, §. *item, c. hoc nequaquam* 6. *q.* 1. *c. post translationem*, §. *cum ergo, de renuntiat.* Licet enim character sit indelebilis, *c. quod quidem* 1. *q.* 1. *c. licet.* 32. *q.* 7. tamen caret ejus executione, nec amplius Episcopalibus insignibus uti potest, *d. c. post translationem*; imo si ex regulari professione assumptus fuit in Episcopum: post renuntiationem loco, & dignitati factam debet redire ad regularem observantiam, & claustrum, ut docet Ricciulus *libr.* 2. *lucubr. capitul.* 12. & 13. qui vero renuntiavit loco tantum, dignitate retenta, vere, & proprie Episcopus manet, cum frequenter reperiantur Episcopi sine loco, ut Episcopi ab hostibus a propriis diœcesibus expulsi, *c. pastoralis*, 7. *q.* 1. Episcopi titulares, quos vulgo dicimus *de Anitlo*, qui promoti sunt in locis ab infidelibus occupatis, de quibus in 6. Synodo Constantinopl. ubi de his ita statuitur: *Quoniam diversis temporibus Barbarica invasiones fuere, & ex eo plurima civitates infidelibus subjugata, ut ideo non possit ejus civitatis Præsul, postquam ordinatus fuerit, suum thronum apprehendere, & in eo sacerdotali consistere, collocari, & sic pro ea, quæ invaluit consuetudine, ordinationes, & omnia quæ ad Episcopum pertinent, agere, & tractare, Nos honorem, ac venerationem sacerdotio servantes, & Gentilium injuriam nequaquam ad Ecclesiasticorum jurium perniciem exercere volentes, eis qui sic ordinati sunt, & propter prædictam causam in suis thronis non sunt constituti, & absque ullo ex ea præjudicio conservantur, decernimus ut diversorum clericorum ordinationes canonice fiantur, & præcedentia auctoritate secundum proprium statum utantur*. Et *c. inter*, §. *sicut de transl. Ep.* & in Conc. Trid. *sess.* 14. *de refor. c.* 2. late Ricciulus *l.* 2. *c.* 5. & hujusmodi Episcopi licet locum non habeant, tamen vere Episcopi sunt, ut probant Jacobatius *de Concilii l.* 2. *ar.* 2. P. Greg. *l.* 15. *syntagm. c.* 12. Lotherius *de re benef. q.* 9. *n.* 67. Unde possunt Pontificalia exercere, celebrare, & prædicare, ut cavetur *in d. c.* 2. Conc. Trid. vocandique sunt ad Concilium Generale. Canus *de locis l.* 3. *c.* 2. si sunt regulares eximuntur ab observantia regulari: Ricciulus *dict. l.* 2. *c.* 11. & licet stricto jure per adeptionem Episcopatus vacent beneficia, juxta adducta *in c. cum in cunctis*, §. *cum vero, de elect.* tamen qui hostium injuria caret Episcopatus fructibus, ideo retinet talis Episcopus beneficia, ut docent Parisius *de resign. benefic. l.* 3. *q.* 6. *n.* 49. Ricciulus *dict. l.* 2. *c.* 6. tamen omnia jura, quæ loquuntur de Episcopo, habent locum in Episcopo Titulari, & eo qui renuntiavit loco, ut docet Ricciulus *ubi sup. c.* 10. — 9 Respondetur difficultati.

8 Ratio decidendi. — Ex quibus profluit ratio decidendi ad nostrum textum: nam in primo casu, cum videlicet Episcopus tantum renuntiat loco, non vero dignitati, quia tantum dimittit quæ sunt jurisdictionis, vel ordinis, ideo valide, & licite eos gradus, sive majores, sive minores, invitatus ab Ordinario conferre potest, ut de Episcopo titulari supra dixi: qui enim renuntiat loco, potestatem characteris non dimittit, unde accedente jurisdictione ex Ordinarii licentia licite, tam majores, quam minores Ordines conferre valet. Secundo vero casu, cum Episcopus renuntiat loco, & dignitati, quia dimittit omnia jura Episcopalia, majores ordines conferre non valet, & qui scienter, vel ignoranter ab eo ordinati sunt, suspensionem incurrunt, cum ordinati sint ab eo, qui exercitium ordinis non habebat: minores autem ordines conferre valent, quia eos gradus etiam conferunt non Episcopi, ut Abbates *c. cum contingat, hoc tit.* Chorepiscopi, Concil. Antiochen. sub Iulio I. *can.* 20. Acyran. sub Sylvestro, *can.* 13. plura sæpe laudatus, semperque laudandus Præceptor D. Franciscus Ramos *in synt. pro Episcopo Lusitan. prop.* 4. §. 4. *n.* 15. Recte ergo Alexander III. in præsent. affirmat, Episcopum renuntiantem loco, & dignitati simul, tantum minores ordines conferre posse.

Nec difficultates in contrarium peroensæ adversantur. Non prima, cui ex supra dictis, & traditis a nostro Alexandro III. facile satisfieri potest, videlicet minores ordines conferri posse ab Episcopo, qui renuntiavit loco, & dignitati; quia eos gradus conferre possunt alii, etsi Episcopi non sint, ut Abbates, Chorepiscopi, Presbyteri ex delegatione Pontificia: unde licet Episcopus renuntiet illis, quæ ei competunt ut Episcopo, non inde videtur renuntiasse eis, quæ cum aliis communia sunt: docent Hallierius *ubi sup. pag.* 832. Gibalinus *de irregul. c.* 5. *dub.* 3. Nec obstat secunda difficultas; nam textus *in dict. c.* 5. *dub.* 3. Nec obstat secunda difficultas; nam textus *in dict. c. qui perfectionem*, procedit in aliis sacramentis, ubi non differunt effectus, & exercitium; non tamen procedit in sacramento ordinis, in quo licet valide administretur, & imprimatur character, non tamen exercitium competit: plerumque enim contingit, ut sacramentum ordinis cum effectu conferatur, & tamen exercitium gradus accepti non detur. Nec obstat augmentum primum hujus difficultatis, ex quo dicebamus, fine culpa in hoc casu incurri non posse irregularitatem: omissa enim eorum sententia, qui existimarunt, dispensationem in hoc textu accipi improprie pro declaratione, quia Episcopus debet declarare ignoranter ordinatum nullam incurrisse suspensionem; quam refert Vega *in c. ar. sic clerici* 4. §. 1. *n.* 33. *de judiciis*; dicendum est, quod etsi in præsenti nulla præcesserit culpa ordinati per ignorantiam ab eo, qui renuntiavit Episcopatui; tamen suspensio vera incurritur, non tamen habet rationem pœnæ, sed tantum incurritur ob inhabilitatem provenientem ex parte ordinantis, qui propter renuntiationem carebat exercitio Episcopalis ordinis: unde non ob culpam ordinati, sed ordinantis prohibetur ordinato exercere officium gradus suscepti. Accedit juris præsumptio; jus enim præsumit aliquam culpam habuisse ordinatum ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui, ut docent Vega *ubi supr. n.* 33. Gibalinus *ubi sup. de censur. pag.* 138. Neque etiam refragatur textus *in dict. c. Ordinationes* 9. *q.* 1. nam respondetur, ignorantiam in eo textu excusare ordinatum, illique prodesse ad dispensationem obtinendam, ut in nostro textu deciditur; non tamen ut statim possit celebrare ordinatus ab excommunicato, ut colligitur ex verbis sequentibus, ibi: *Misericorditer suscipi jubemus*; & ibi: *Venia dignus habeatur*; ut docent, & interpretantur illum textum Cæsar *de Eccl. hierarch. disp.* 6. §. 3. *nu.* 15. Præceptor meus Archiepisc. Valent. *de sacram. Ordinis tr. de ministro, n.* 15. — 10 Exponitur Conc. Ephesin.

Sed supra traditæ assertioni obstare videtur Concilium Ephesinum *in ep. ad Plum*, & *Concilium Pamphilia*, quæ extat ad calcem ipsius Concilii: ubi cum agatur de renuntiatione, & restitutione Eustachii Metropolitani, ita ajunt Patres: *Quoniam autem adversus hominem quietis, & tranquillæ vitæ amatorem, non admodum contendere conveniebat, quin potius misereri oportebat hominis senis, qui tamdiu civitate, quæ eum produxit, ac parentibus caruisset: æquum esse censuimus, & statuimus; ut absque omni controversia, & contradictione obtineat, & nomen Episcopatus, & honorem, & communionem; hac tamen conditione, ut neque ordines ipse, nec vero occupata Ecclesia officio sacerdotis fungatur ex sua auctoritate, nisi utique tamquam adjutor assumeretur, vel ei forte permitteretur a fratre, & Episcopo collega*. Ex quibus expresse deducitur, Episcopum renuntiantem Episcopatui non posse etiam post restitutionem ullos ordines conferre. Pro cujus difficultatis solutione sciendum est: Eustachium illum Metropolitanum renuntiasse non solum dignitati, verum & loco, & ita nec minores ordines conferre posse; & licet restitutus esset quoad nomen, & honorem, tamen quia carebat propria diœcesi, ideo ajunt Patres, cum propria auctoritate, absque permissione, seu delegatione proprii Episcopi non posse licite ordines conferre, aut Pontificale officium exercere.

CAPUT II.

a Gregorius IX.

CUm Clericis, qui ab excommunicato Episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari.

NOTÆ.

G*Regorius IX.*) Hanc inscriptionem exposui *in c. fin. de consuetudine*.

COMMENTARIUM.

1 Conclusio traditur, & probatur. — QUia in textus antecedenti actum est de ordinatis ignoranter ab eis, qui exercitium characteris Episcopalis non habebant, & de dispensatione cum eis in suspensione contracta; ideo annectit Raymundus hanc Gregorii IX. decisionem de ordinatis ignoranter ab excommunicato, & de ordinatis ignoranter ab excommunicato, & de dispensatione in suspensatione ab eis contracta, & statuit Gregorius IX. *Cum ordinatis ab excommunicatis per ignorantiam Episcopum proprium posse dispensare*. Quod etiam probatur *ex cap. ab excommunicationis* 9. *quæst.* 1. *cap. ordinationes, versic. Qui vero, ead. qu. cap. Daibertum* 1. *q.* 7. Concilium Arelat. *can.* 12. Constantiense *sess.* 8. & 15. septima Synodus *can.* 4. Illustrat D. Th. *in addit. ad tertium, q.* 38. *art.* 2. Philibertus *de ord. tr.* 11. *c.* 15. & 18. Sanchez *t.* 2. *Conc. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 18. Castillo, Trullench, & Diana relati a Leandro *de Sacr. Ord. disp.* 4. *qu.* 3. plures relati a Barbosa *de potest. Ep. alleg.* 48. Pet. Greg. *de benefic. c.* 36. *n.* 24. Cæsar *de hierar. disp.* 6. §. 3. *n.* 6. Sanch. *de matr. l.* 3. *disp.* 22. *n.* 33. Covarruv. *in c. alma*, 1. *par.* § 6. *n.* 6. Gibalinus *de censur. disq.* 7. *q.* 2. *cons.* 13. Hallierius *de sacris electi. pag.* 825. Angulanus *l.* 4. *de leg. c.* 6. *n.* 20. Suar. *de censur. disp.* 11. *sect.* 2. Ricciulus *de jure personarum*.

Sed adversus hanc assertionem sequentia opponi possunt. — 2 Impugnatur hæc assertio.

Primo: major potestas necessaria est ad ordinandum clericum, quam ad illum deponendum; & difficilioris exercitii judicatur pote-

potestas ordinandi, quam deponendi, aut excommunicandi. Concilium Carthagiaenses. 1. *can.* 11. Carthag. 2. *can.* 10. Carthag. 3. *can.* 8. Hispalense 2. *can.* 6. aut saltem æqualis; unde D. Nicolaus *l.* 1. *ep.* 9. ordinandi potestatem cum facultate deponendi ita comparavit, ut si hæc deesset, & illa quoque deficeret: sed Episcopi excommunicati nullo modo possunt deponere Clericum, aut illum excommunicare, *c. audivimus* 24. *q.* 1. docent omnes repetentes *in præsenti*: igitur si Episcopi excommunicati non possunt clericos deponere, nec illos ordinare valebunt. Secundo difficilis est hæc assertio, dum docet, ignoranter ordinatum ab excommunicato, suspensionem incurrere; nam qui obtinet, quod est plus; obtinere debet, quod est minus, ex vulgari juris regula: sed ordinatus ab excommunicato caractérem gradus accipit, quod est plus, igitur & exercitium debet obtinere, quod est minus. Augetur hæc difficultas ex eo, quod suspensio pœna est, & non potest incurri sine culpa propria, ut superiori commentario probavi: sed in ordinato ignoranter ab excommunicato non potest propria reperiri culpa: igitur ex tali ordinatione suspensionem incurrere non valet.

3 Episcopus excommunicatus, aut depositus valide conferre potest.

Adhuc tamen Gregorii IX. decisio defendenda est, videlicet ab excommunicatis ordinatos verum sacramentum Ordinis recipere, sed gradus accepti exercitio carere propter suspensionem, quam ipso jure incurrunt: & ut ejus rationem aliquantulum, sciendum est, Episcopis consecratis competere jus conferendi sacros ordines tamquam ordinariis ministris, *can.* 2. *Apost. c. perlectis*, 25. *d. c. quamvis*, 68. *d. c. non liceat* 92. *d. c. penult. de præscr.* pluribus auctoritatibus probavi *in c. quoad translationem, de tempor. ordinat.* & pluribus auctoritatibus adstruunt Hallier. *de sacris elect. pag.* 551. Philibertus *de ordin. tr.* 1. *p.* 2. *c.* 1. Dicastillo *eodem tr. disp.* 1. *dub.* 16. & 17. Unde damnandi sunt non solum Vvicleffus, & Armachanus, qui affirmant quemlibet sacerdotem esse ministrum sacramenti Ordinis, ut refert Vvaldensis *de sacram. c.* 6. verum, & hæretici nostri temporis, qui ausi sunt asserere, etiam laicos posse administrare hoc sacramentum, quos refellit docte Pater Petavius *de hierarch. eccl. par.* 2. *per totam*. Nec interest si Episcopus consecratus sit hæreticus, suspensus, interdictus, excommunicatus, aut simoniacus, sive degradatus; immo etsi ab ipsis hæreticis servata Ecclesiæ forma consecratus sit; adhuc enim omnes isti possunt valide ordines conferre, & administrare, licet non licite, *c. quidam*, 97. cum aliis, 1. *q.* 1. *c. ab excommunicatis, c. ordinationes*, 9. *q.* 1. Conc. Constantiens. *sess.* 8. & 15. sigillatim de unoquoque agens probat Hallierius *ubi sup. pag.* 789. Ratio est, nam cum potestas conferendi ordines competat Episcopis ratione caracteris Episcopalis, & ille sit indelebilis, ita enim in anima imprimitur, ut nec per hæresim, vel aliud simile delictum possit deleri; inde durante caractere durat potestas conferendi ordines. Accedit, nam effectus sacramentorum non pendent a bonitate, vel malitia ministri, *c. Dominus*, 87. §. *momento, c non est*, 89. 1. *q.* 1. *c. Baptismus, de consecr. d.* 4. Trident. *sess.* 7. *c.* 9. & 11. docet D. Thomas *in* 4. *d.* 25. *q.* 1. igitur sive Episcopus sit excommunicatus, vel hæreticus, recte confert gradus ordinis, tam majores, quam minores.

4 De suspensione quæ incurritur ab ordinato.

Sed licet hæc ita vera sint quoad valorem, & effectum gradum, ques conferunt Episcopi hæretici, simoniaci, excommunicati, & suspensi; tamen non procedunt quoad exercitium, & executionem prædictorum graduum: sive enim scienter, sive ignoranter clerici a prædictis Episcopis ordines acceperint, executionem, & exercitium non consequuntur, *c.* 1. 9. *q.* 1. Innocent. I. *ep.* 22. *c.* 2. Synodus apud Sanctum Medardum, cujus meminit Nicolaus I. *ep.* 47. Si scienter acceperunt, ea ratione suspensionem incurrunt, quia juste meretur exercitio privari, & executione ordinis, qui ab eo, quem Ecclesia a ministerio rejicit, contra canonum statuta recipere ipsum non reformidat: justum enim est, ut quem gradum perperam acceperunt, non exerceant. Qui vero ignoranter recepit gradum ordinis ab excommunicato, ideo suspensionem incurrit, quia executionem ordinis, quam Episcopus non habebat, ordinato dare non poterat; eo enim ipso, quod ministri exercitium sui gradus non habeant, alii præstare non possunt, ut docetur *in c. perfectionem, c. ventum est*, 1. *q.* 1. *c. quomodo, de consecrat. d.* 4.

5 Ratio decidendi.

Ex his jam apparet vera decidendi ratio ad nostrum Gregorium: nam cum illi, qui ab excommunicatis ordinantur, caractérem recipiant, executionem autem gradus non consequantur, quia quantumvis cum ignorantia recipiant, suspensionem incurrunt, ideo necessaria est dispensatio, ut possint in susceptis ordinibus ministrare: & quia Episcopus proprius potest absolvere a simili suspensione, ex traditis *in cap. vel non est, de tempor. ordin.* ideo a Gregorio hic decidit, Episcopos proprios posse cum eo dispensare, hoc est si ordinatus sit ab excommunicato Episcopo proprio ratione domicilii, ab Episcopo originis, vel beneficii poterit cum eo dispensari, quia æqualiter sunt Episcopi proprii, ac est Episcopus domicilii. Docet Vivianus *in præsenti*: nec obstant ea, quæ in contrarium expendebamus; nam licet Episcopus excommunicatus non possit clericum excommunicare, aut deponere; potest tamen eum ordinare, quia diversa est potestas ordinandi ac deponendi, & ex diverso capite provenit: ordinandi enim facultas profluit ab Episcopali caractere, qui est indelebilis: facultas autem excommunicandi, aut deponendi pertinet ad jurisdictionem, qua Episcopus excommunicatus privatur, nec eam exercere valet, ut late dicemus *in c.* 2. *de except.* Ideo igitur licet Episcopus excommunicatus possit conferre gradus ordinis clericis, non tamen potest eos deponere, aut excommunicare. Secundæ difficultati satisfaciendum est ex traditis superiori commentario pro solutione rationis dubitandi.

6 Exponitur c. 1. 9. 1.

Sed superius traditis adversatur textus *in c.* 1. 9. *q.* 1. in illis verbis: *Nos consecrationem nullo modo dicere possumus, quæ fit ab excommunicatis*. Ex quibus aperte cognoscitur, ordinationem ab Episcopo excommunicato nullam esse: igitur non est necessaria dispensatio, cum inutiliter sacramentum Ordinis collatum sit. Pro cujus textus solutione dicendum est, Gregorium *in dict. c.* 1. nullo modo affirmare consecrationem ab excommunicato factam nullam esse quoad effectum, & caractérem, sed tantum quoad executionem, & exercitium; quia enim eam potestatem ordinis ordinatus a tali Episcopo exercere non valet, ideo dicitur nulla ejus consecratio: quo modo accipiendi etiam sunt textus *in c. in causa* 9. *q.* 1. *c. per illicitam* 25. 1. *qu.* 7. *c. ab excommunicatis* 4. *c. ordinationes* 9. Nicolaus I. *ep.* 9. *Michaeli Imperatori*, in illis verbis, *Nam merito destructus esse creditur, qui a destructo ædificari speranz, etiamsi qualia bona fortis habuit, nimia præsumptionis ejus temeritati communicans perdidit: nam Gregor. quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam nosebatur elisus. Quomodo quemquam in aliquo Ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui Ecclesiæ unitatem scindens, ipso jam videbatur omnino dejectus: sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejcere non potuit; sic destructus construere, & elisus quemquam ordinare nequivit; in summo quippe status sui oportet eum vigore consistere, & firmis inniti per omnia casibus, qui alterum vel prosternere, vel conatur statuere; Gregorius enim, qui canonice, ac synodice depositus, & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam proviehere vel benedicere, ratio nulla docet*. Docent Suar. *de censur. disp.* 11. *sect.* 2. Hallierius *d. sect.* 5. *pag.* 824. Anguianus *l.* 4. *controv. c.* 6. *n.* 20.

7 Exponitur c. 2. 9. 1.

Secundo adversatur textus *in c. excommunicati* 2. 9. *q.* 1. in illis ultimis verbis: *Reiterari necesse est, quod minime probatur esse collatum*. Ubi cum agatur de ordinatione ab excommunicato celebrata, docetur eam iterandam esse: igitur quia nulla fuit, tam quoad exercitium, quam quoad characterem. Huic difficultati satisfacere intendit Suarez *de censur. disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 5. & 6. asserendo, in eo textu non agi de ordinationibus factis ab Episcopis, sed potius a Chorepiscopis, qui facultatem non habebant conferendi majores ordines. Sed hæc solutio prorsus divinatoria est, siquidem nulla mentio Chorepiscopi fit in eo textu. Omissa igitur hac solutione, respondendum est, in eo textu agi de ordinationibus factis ab excommunicatis, non servata forma Ecclesiæ, nec juxta disciplinam Ecclesiasticam; tunc enim hujusmodi ordinationes sunt iterandæ, non quia ab Episcopis excommunicatis celebratæ sunt, sed quia non servata Ecclesiæ forma factæ fuerunt, ut contingit in Sacramento Baptismi, quod licet a quolibet ministro excommunicato, hæretico, pagano conferri possit, *c. de Arrianis, c. a quodam*, cum aliis *de consecr. d.* 4. Spondanus *in Epit. Baronii, anno* 216. *n.* 1. & *anno* 258. *n.* 4. Cæsar. *de Eccl. hier. disp.* 1. §. 4. Vicecomes *l.* 1. *de ritibus Baptismi, c.* 38. Pamelius *ad D. Cyprianum ep.* 73. Magister Illustrissimus Archiepiscopus Valent. *de Baptismo art.* 3. *n.* 28. tamen si conferatur non servata Ecclesiæ forma, reiterari debet, *c. quos a paganis* 52. *de consecr. d.* 4. sic etiam ordinatio facta ab excommunicato non servata Ecclesiæ forma, iterari debet, ut docent Glossa *in diit. c.* 2. & ibi Turrecremata, illustrissimus Valentiæ Præsul *de ordin. tr. de ministro, n.* 10. Qua solutione etiam interpretandi sunt textus *in c. per illicitam* 9. *q.* 1. ubi asseritur, ordines ab hæreticis collatos reiterati debere; procedunt enim, cum collati fuerunt non servata Ecclesiæ forma.

8 Intelligitur c. si celebrat. de elect. exc.

Tertio nostræ assertioni opponitur textus *in capit. si celebrat. de cleric. excommunic.* ubi deciditur, excommunicatum valide, & licite administrare sacramenta: igitur qui ab eo petiit, & accepit Sacramentum Ordinis, nullam suspensionem incurrit. Huic difficultati satisfaciendum est asserendo, textum illum procedere in excommunicato minori excommunicatione, qui licet privatus sit perceptione sacramentorum passiva, non tamen activa. Unde licite, & cum effectu potest sacramenta administrare absque eo, quod ordinatus ab eo ullam suspensionem incurrat; quod eriam hodie procedit post extravagantem *Ad evitanda*, in eo qui ordines recepit ab excommunicato majori excommunicatione ligato, sed non denuntiato, in quo casu abrogatam esse præsentem decisionem, docet Gibalinus *ubi sup. p.* 250.

TITULUS XIV.

De ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Pictaviensi.

UT *b* Abbates, & *c* Decani, & *d* Præpositi, qui *e* presbyteri non sunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant: qui *f* Archidiaconatus tenent, Diaconi fiant; qui *g* Archipresbyteratus, Presbyteri, aut honores amittant. Quod si aliqua justa *h* causa prohibente Presbyteri, aut Diaconi esse non potuerint, prælationes amittant.

NOTÆ.

1 a *Pictaviensi*.) Concilium hoc Pictaviense primum celebratum fuit in civitate Pictaviæ, de qua egi *in c. super* 20. *de rescriptis*, in causam Philippi Francorum Regis, temporibus Paschalis II. ut referunt Baron. *anno* 1100. *n.* 19. Severinus Binius *in notis ad ipsum Concil.* Altesserra *l.* 10. 10. *rer. Aquit. c.* 10. Ejus canone reperiuntur *tom.* 26. *Concilorum pag.* 744. & apud Baron. *d. anno* 1100. ex quo Concilio duos canones, septimum videlicet, & octavum, transcripsit Raymundus *in præsenti*. Septimus ita habetur in ipso Concilio: *Ut Abbates, Decani, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, aut prælationes amittant*. Canon octavus ita legitur: *Qui Archidiaconatus tenent, Diaconi fiant; qui presbyteratus Presbyteri fiant, aut honores amittant. Quod si aliqui justa causa prohibente Presbyteri, aut Diaconi esse non possint, prælationes amittant*. Ex his duobus canonibus transcriptus est præsens textus, qui etiam reperitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 1. & illi consonant fere per eadem verba can. 2. Concilii Narbonensis celebrati anno 1119. editi a Balluzio *ad Marcham l.* 8. *concord. c.* 18. ibi: *Nullus etiam in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus ordinetur*. Later. Conc. sub Calixto II. *Nullus in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus ordinetur*. London. 1. *can.* 2. tempore Honorii II. *Nullus in Decanum, nullus in Priorem, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus promoveatur*. Londoniense 2. *can.* 4. *Nullus in Decanum, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus constituatur*.

b *Abbates*.) Id est cænobiorum Prælati, jam enim primis Ecclesiæ sæculis superiores monachorum a Syriaca voce *Abbas*, id est pater, tamquam patres monachorum, ita appellabantur in quamplurimis Conciliorum Canonibus, & regulis diversarum Religionum, ut late probant Benedictus Ephenus *disq. monast. t.* 2. *tr.* 5. *disq.* 1. *per totam*, Tambarin. *de jure Abbatum t.* 1. *disp.* 1. *q.* 1. Bravo *in notis ad regul. D. Benedicti*, *c.* 2. & licet aliquando Abbates accipiantur pro Prælatis Ecclesiarum regularium ut late probat Cæsar *de Eccl. hierarch. disp.* 13. §. 2. & sæpius in hoc opere notavi; tamen in præsenti accipiuntur pro Prælatis cœnobiorum, qui jam temporibus præsentis Concilii sacris ordinibus initiabantur, ut ex hoc textu probat Yepes *in Chron. D. Benedicti, t.* 1. *cent.* 1. *c.* 5. *pag.* 75. sed non pluribus abhinc annis, nam in Synodo Nicæna 2. relata *in c. quoniam* 69. *dist.* Abbatibus conceditur lectores creare, dummodo ipsi Presbyteri ordinati forent: unde constat, tempore ipsius Synodi Abbates aliquos, neque paucos, inventos fuisse sacerdotio minime insignitos: quare ex eo canone deducit Balsamon *in ejus notis*, in Abbates monasteriorum eos constitui posse, qui sacerdotes non sunt, quamvis illi lectores, & psalmistas in monasterio suo ordinandi potestatem non habeant: & tempore D. Gregorii constat, Abbates monasteriorum nondum sacerdotes esse consuevisse; tum quod Abbates in Ecclesiis ordinatos non amplius in monasterio potestatem habere decernit *l.* 3. *ep.* 11. & *l.* 6. *epist.* 40. tum quod tamquam singulare beneficium ab Urbico Abbate rogatus ipsi concesserit, ut ex ipsius congregatione Presbyter ordinaretur, *l.* 5. *epist.* 44. tum quod Abbatis de Portu Veneris mentionem faciat, & Diaconum tantum fuisse significat *lib.* 1. *ep.* 12. & *lib.* 4. *ep.* 5. Nec a tempore præsentis Concilii Pictaviensis universim, & semper receptum fuit, ut non nisi sacerdotes ad monasteriorum Abbatialem Præfecturam promoveri deberent; siquidem legimus sequenti sæculo Innocent. III. præcepisse *in cap. tuam, hoc tit.* ut Monachus, qui regularis disciplinæ restaurandæ studiosus habebatur, alicujus monasterii Abbas fieret; ita videlicet, quod ad sacros ordines non accedat: notavit Franciscus Hallierius *in vindiciis Paris. c.* 3. *l.* 3. §. 6. *ad. fin. fol.* 296.

c *Decani*.) De Decanis, & eorum officio egi *in cap.* 2. *de rescriptis, c. cum in cunctis*, §. *inferiora, de election.*

d *Præpositi*.) Hæc vox deest in Concilio Pictaviensi, sed adest in omnibus juris locis, in quibus probatur, & docetur, Prælatos curam animarum habentes, debere in Presbyteros ordinare: & quod dicitur de Abbatibus, & Decanis, procedit etiam in Præpositis, ex eadem ratione; nam Præpositi sunt Prælati, qui præsunt aliis, de quibus D. Paulus *ad Hebræos c.* 13 ibi: *Mementote Præpositorum vestrorum*. Et *c.* 17. *Obedite Præpositis vestris*. Hinc qui præsunt rebus publicis, & civitatibus, dicebantur Præpositi, in legibus Vuisigoth. *l.* 5. *tit.* 5. *c.* 3. ibi: *Tunc creditur Judici, vel Præposito civitatis*. Et *l.* 2. *Longobard. tit.* 42. *c.* 24. Carnotensis *ep.* 363. ibi: *Suggestum est Excellentiæ vestræ, quod cleriti Carnotensis Ecclesiæ jus Præpositorum suorum minuant*. Hæc dignitas a civili politia ad ecclesiasticam translata fuit; & qui primam dignitatem in Ecclesia habent, dicti sunt Præpositi. Gaufridus Vindocinensis *l.* 1. *ep.* 11. *Dictum est mihi, quod Hugo Præpositus Carnotensis Ecclesiæ*. Carnotensis *ep.* 98. Plura de hac dignitate Ecclesiæ Cathedralis Cæsar *de Eccl. hierarc. disp.* 12. §. 5. Barbosa *de dignit. c.* 9. *num.* 14. Tandem ad Regulares translata est hæc dignitas; nam qui regit monasterium post Abbatem, dicitur Præpositus. Concil. Aquisgran. *can.* 139. Et quamvis omnes qui præsunt, Præpositi rite dicantur; usus tamen obtinuit, eos vocari Præpositos, qui quorumdam Prioratuum curam sub aliis Prælatis gerunt: plura tradunt Bosquetus *ad Innocent. l.* 1. *ep.* 54. Ephenus *disquisit. monast. tract.* 6. *disq.* 1. Menardus *ad concord. regul. c.* 27. §. 1. Unde recte in præsenti a Raymundo conjunguntur cum Abbatibus, quia ob eamdem rationem, ob quam Abbates ordinari cogantur, & Præpositi ordinari valent: dicemus *in c. constitutis* 46. *de appellat.*

e *Presbyteri fiant*.) Quod & cautum fuit aliis canonibus supra relatis, & congestis *in c. cum in cunctis*, §. *inferiora de elect.* quod magna cum ratione constitutum fuit; nam cum ipsi curam gerant animarum, & ordines minores suis subditis conferant, *c. cum contingat, hoc tit.* quomodo si ordinati non reperiantur, hæc mania obire valebant? Deinde quia monachis in choro legentibus benedictionem præstant, *c. hinc est*, §. *superiores*, 16. *qu.* 1. sed qui presbyter non est, solemniter benedicere non valet, *cap. perlectis*, §. *ad presbyterum*, 25. *d.* nisi expresse permittatur, ut *in can.* 60. *Concil. Aquisgran.* Igitur Abbates necessario debent in presbyteros ordinari; unde qui eliguntur ad hujusmodi dignitates, debent habere 25. annos, ut statim possint sacro presbyteratus grada insigniri, ut contra Vasquez, & Quintanadvennas docent plures congesti a Narbona *de ætate anno* 25. *q.* 57. Suarez *t.* 4. *de relig. l.* 2. *c.* 30. *n.* 20. Azor *p.* 1. *moral. c.* 20. *q.* 1. Sanch. *l.* 2. *consil. c.* 1. *dub.* 19. Julius Lavorus *lucubr. c.* 15. *n.* 22. Dartis *de benef. sect.* 4. *numer.* 27. Aliqui etiam Abbates non solum ordinantur, verum, & consecrantur, de quibus egi *in cap.* 1. *de supplenda*.

f *Archidiaconatus*.) De qua dignitate late agemus *in tit. de officio Archidiaconi*.

g *Archipresbytero*.) De hoc officio nonnulla adducemus *in tit. de officio Archipresbyteri*.

h *Justa causa*.) Hæc verba difficillima exposui *in cap. cum in cunctis*, §. *inferiora, de elect.* ubi commentarium hujus textus dedimus.